



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Eustachius Mart. 20. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

rentia, *Tardè nobis displicebimus in conspectu ignis inferni,*  
*qui interrogabit ossa, & medullas, & cogitationes nostras.*  
 Euf. Emiss.

## S. EUSTACHIUS Mart.

20. Septembris.

*Gaudete in Domino semper, iterum  
 dico gaudete.*

**E**USTACHIUS olim Placidus (cujus ve-  
 nomen Romani Imperii hostes debella-  
 bat) dum feras sectatur, Christum inter Cer-  
 vi cornua conspicuum habet, domumque  
 nobile venationis spoliū Fidem portat. Ab  
 eo tempore etiam Christiani Jobum suum ha-  
 huerunt. Nam opes & familiam everfam mi-  
 to. Ab exilio exordior. In hoc conjugem  
 impurus nauta sub oculis avehit, mox ipsos  
 oculos (filios geminos) illum quidem leo,  
 hunc lupus rapit. Jam ille tantorum nuper  
 exercituum Imper. pecoris fit Dictator, clas-  
 sicum bubus canit, dux oves præit, baculo  
 in lupos pugnat. Sed proditus demum à cica-  
 trice, ad Trajanum iterum, ad exercitum  
 ab aratro abducitur. Et vide mihi sis fortuna  
 ludum. Merent sub illo Agapius & Theopi-  
 stus, quos dentibus ferarum Opiliones olim  
 excusserant, ipsissimi filii EUSTACHII; hi dum  
 alter

alter alteri pueritiam suam narrant, & repente fratres se mutuo salutant, audit hæc è vicino mater (cujus impudicitia Deus consuluit, impio nautâ extincto) & utrumque ad Duce[m] rapit, petitque, filios sibi vindicet. Hic insperato EUSTACHIUS pro se pronunciat, agnitusque & uxorem & filios sibi addicit. Victor deinde Romam ingressus ipsos in Triumphum Deos ducit. Dum enim his sacrificare renuit, ad bestias cum suis damnatur, innoxius denique tauro Phalaridis includitur. In hoc mugire ipsum alii credebant, sed ille fortunam ridebat. *Ex surio.*

MEDITATIO.

*Semper letandum est.*

1. **S** Eustachius in ipsa delectatione venationis invenit Dominum. Lætos ac hilares servos cupit Deus, possunt illi gaudere semper, sed in Domino, invenis Dominum in ipsa lætitia, si inter gaudia subeat etiam mentem tristitia Jesu Christi. Et cave, ne voluptatibus illicitis illum rursus crucifigas. *Nunquid letari & ridere non possumus? nisi risum nostrum, atq; lætitiã, scelus esse faciamus.* Salvian.

2. **L**ætare etiam in mediis afflictionibus exemplo S. Eustachii, qui hilari ac pacato animo tulit uxoris, filiorum ac bonorum omnium jacturam, quoniam hæc erat voluntas Dei. Quantùm levat ægritudinem hæc cogitatio: quod patior, placet Deo: cedit

ejus gloriæ, cedit meæ utilitati. Gaudeo Domine, sempérque gaudebo, quod fiat in me voluntas tua. Si doloribus affectum corpus gemuerit, anima certe acquiescit in divina voluntate tua, in eaque faciendæ semper gaudebit.

3. Si quas olim delicias Deus in oratione concessit, eas in præsentia deneget, id tuæ pravitati adscribe. Cave omittas solita pietatis officia, recedit Deus et probet virtutem, vel animum tumentem deprimat. Te Domine in orationibus non consolationes quero. *Quare faciem tuam avertis? gaudium per quod gaudeo? ubi es absconditus Pulcher quem desidero.* S. Augustinus

## S. MATTHÆUS Apost.

21. Septembris.

*Cum transiret inde Jesus vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine et ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum.*

Matt cap. 9.

**V**idit Judæa hodie clarum inter pauca Miraculum: Camelum scilicet per Angustias Acûs se penetrantem. MATTHÆUS fuit, è prædivite Publicano impiger CHRISTI sectator, cujus etiam vitam literis descriptam reliquit, maximam posteris hæreditatem.